



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Secunda secundae Summa Theologiae

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

2 vtrum sit i intellectu sicut in subiecto.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72772)

illam tamquam aliud sit iudicare, aliud asserere. Et dum audimus bellorum, aut quorumcumque gestorum historias, credere nos fatemur, non iudicare, tamquam nos determinemus ad narrata, non narrata causa. Ordinis vero signum est, quod qua liter unusquisque affectus est, taliter iudicat de re, ut patet in gustu febricitantis. Hoc. n. insinuat, quod prius natura est determinationis sui ad aliquid, quam iudicium de illo. Et propterea sapientia in litera ponitur differens a fide secundum differentiam iudicii ab assensu, & ponitur posterior fide. Inter fidem ergo, & sapientiam haec est differentia, quod fidei primò est assensus, sapientia vero primò est iudicium. Dico autem primò, tum quia unum infert reliquum, tum quia non intelligit dona Spiritus sancti sic distinguuntur a virtutibus theologis, ut perficiant ad actus disparatos, sed ut perficiant inchoationem bonitatis, quam actus, qui non primò, sed secundario sunt theologiarum virtutum, ab illis sortiuntur. Verbi gratia, fidei actus primò est assensu, & eiusdem est etiam percipere, & iudicare & secundum Deum, & secundum causas creatas, & applicare ad singularia, ut patet in homine existente in peccato mortali, cauente tamen se ab idololatria, homicidio, furto, eunte ad praedicationes, & missas. Talis enim absque donis Spiritus sancti, quae non possunt esse informia, per fidem percipit diuina, iudicat cauendum ab idololatria secundum altissimam causam, & ab homicidio etiam secundum causam creatam, quia non est nocendum proximo, & applicat se ad particulares executiones obsequij fidei in missis &c. qui tamen actus spectant ad dona intellectus, sapientiae, scientiae, & consilij: sed hi actus non perfecti sunt ita a fide, quin egeant donorum perfectione, a

rena, animalis, diabolica: ergo sapientia non debet poni inter dona Spiritus sancti.  
¶ 2 Præterea. Sicut Aug. dicit 12. de Trin. Sapientia est diuinarum rerum cognitio: sed cognitio diuinarum rerum, quam homo potest per sua naturalia habere, pertinet ad sapientiam, quae est virtus intellectualis: cognitio enim diuinarum supernaturalis pertinet ad fidem, quae est virtus theologica, ut ex supra dictis patet: ergo sapientia magis deberet dici virtus, quam donum.  
¶ 3 Præterea. Iob 28. dicitur. Ecce timor domini, ipsa est sapientia, & recedere a malo, intelligentia. ubi secundum literam septuaginta interpretum, quae utitur Aug. habetur. Ecce, pietas ipsa est sapientia: sed tam timor, quam pietas ponuntur dona Spiritus sancti: ergo sapientia non debet numerari inter dona Spiritus sancti, quasi donum ab aliis distinctum.  
SED CONTRA est, quod Isa. 11. dicitur. Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae, & intellectus.  
RESPON. Dicendum, quod secundum Phil. in princ. \* Metaph. Ad sapientem pertinet considerare causam altissimam, per quam certissime de aliis iudicatur, & secundum quam omnia ordinari oportet. Causa autem altissima dupliciter accipi potest, vel simpliciter, vel in aliquo genere. Ille ergo, qui cognoscit causam altissimam in aliquo genere, & per eam potest de omnibus, quae sunt illius generis, iudicare, & ordinare, dicitur esse sapiens in illo genere, ut in medicina, vel architectura, secundum illud 1. ad Corin. 3. Ut sapiens architectus fundamentum posuit. Ille autem, qui cognoscit causam altissimam simpliciter, quae est Deus, dicitur sapiens simpliciter, in quantum per regulas diuinas omnia potest iudicare, & ordinare. Huiusmodi autem iudicium consequitur homo per Spiritum sanctum, secundum illud 1. ad Corin. 2. Spiritus iudicat omnia: quia sicut ibidem dicitur. Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.  
Vnde manifestum est, quod sapientia est donum Spiritus sancti.  
AD PRIMUM ergo dicendum, quod bonum dicitur dupliciter. Vno modo, quia est verè bonum, & simpliciter perfectum: alio modo dicitur aliquid esse bonum secundum quandam similitudinem, quod est in malitia perfectum: sicut dicitur bonus latro, vel perfectus latro, ut patet per Philosophum in

5. \* Metaph. Et sicut circa ea, quae sunt verè bona, inuenitur aliqua altissima causa, quae est summum bonum, quod est ultimus finis, per cuius cognitionem dicitur homo verè sapiens: ita etiam in malis est inuenire aliquid, ad quod alia referuntur, sicut ad ultimum finem, per cuius cognitionem homo dicitur esse sapiens ad male agendum, secundum illud Hierem. 4. Sapientes mala: bene autem facere nesciunt. Quod temeritatem sine debito, necesse est esse finem indebitum sibi praesentat: quia agit propter finem. Vnde si praesentat bonis exterioribus terrenis, vocatur sapientia: si autem in bonis corporalibus, pietas animalis: si autem in aliqua excellentia sapientia diabolica, propter imitationem diaboli, de quo dicitur Iob 41. Ipsa elicitur filios superbiae.  
AD SECUNDUM Dicendum, quod sapientia dicitur donum Spiritus sancti, differt a fide in virtute intellectualis acquirita. Naturatur studio humano: haec autem est, quae ascendens, ut dicitur Iac. 3. Similitudo est. Nam fides assentit veritati diuinae secundum iudicium quod est secundum meritum pertinet ad donum sapientiae. Et ideo dicitur quod cognoscit, ut dicitur in 1. ad Corin. 13. Et dicitur quod pertinet ad cultum Dei, est manifestatum per cultum Dei professam: sed pietas manifestat sapientiam: & propterea quod pietas est sapientia, & eadem est. Per hoc. n. ostenditur, quod homo habet dicitur de diuinis, quod Deum timet.

ARTICVLVS III.  
Vtrum sapientia sit in intellectu, sicut in subiecto.  
I  
AD SECUNDUM sic proceditur. Videtur, quod sapientia non sit in intellectu sicut in subiecto. Dicit enim Aug. in libro de \* Gratia noui testamenti, quod sapientia est charitas Dei: sed charitas est sicut in subiecto in voluntate, non in intellectu, ut supra habetur: ergo sapientia non est in intellectu sicut in subiecto.  
¶ 2 Præterea. Ecclesiasti. 1. sexto dicitur. Sapientia doctrinae secundum nomen eius est: dicitur enim sapientia quasi sapida scientia, quod uidetur ad affectum pertinere, ad quem pertinet experiri spirituales delectationes, siue dulcedines. ergo sapientia non est in intellectu, sed magis in affectu.  
¶ 3 Præterea. Potentia intellectualis sufficienter perficitur per donum intellectus: sed ad id, quod unum, superfluum est plura potentia in intellectu.

Lib. 13. e. 19. circa princ. om. 3.

q. 4. art. 7. & 1. 2. q. 62. ar. 3.

Li. 14. de Tri. ni c. 1. & lib. 2. c. 14. 10. 3.

Li. 1. ca. 3. to mo 3.

SED CONTRA est, quod Gregorius dicit in 2. Moral. quod sapientia contrariatur stultitia: sed stultitia est in intellectu: ergo & sapientia.

RESPON. Dicendum, quod sicut supra dictum est, sapientia importat quandam rectitudinem iudicii, secundum rationes divinas. Rectitudo autem iudicii potest contingere dupliciter. Uno modo secundum perfectum usum rationis: alio modo propter connaturalitatem quandam ad ea, de quibus iam est iudicandum. Sicut

de his, quae ad castitatem pertinent, per rationis inquisitionem recte iudicat ille, qui didicit scientiam moralem: sed per quandam connaturalitatem ad ipsam, recte iudicat de eis ille, qui habet habitum castitatis. Sic ergo circa res divinas ex rationis inquisitione rectum iudicium habere, pertinet ad sapientiam, quae est virtus intellectualis: sed rectum iudicium habere de eis secundum quandam connaturalitatem ad ipsas, pertinet ad sapientiam, secundum quod donum est Spiritus sancti. Sicut Dionysius dicit in 2. cap. de Divi. nomin. quod Ierotheus est perfectus in divinis non solum discens, sed & patiens divina. Huiusmodi autem compassio, siue connaturalitas ad res divinas fit per charitatem, quae quidem unit nos Deo, secundum illud 1. ad Corinth. 6. Qui adharet Deo, eius spiritus est. Sic ergo sapientia, quae est donum, causam quidem habet in voluntate, scilicet charitatem: sed essentiam habet in intellectu, cuius actus est recte iudicare, ut supra habitum est.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod Augustinus loquitur de sapientia quantum ad suam causam, ex qua etiam sumitur nomen sapientiae, secundum quod sapientiam quendam importat.

Vnde patet responsio ad secundum. Si tamen iste sit intellectus istius auctoritatis, quod non videtur, quia talis expositio non convenit, nisi secundum nomen, quod habet sapientia in latina lingua. In Graeco autem non competit, & forte nec in aliis linguis. Vnde potius videtur nomen sapientiae ibi accipi pro eius causa, quae a cunctis commendatur.

AD TERTIUM Dicendum, quod intellectus habet duos actus, scilicet precipere, & iudicare, ad quorum primum ordinatur donum intellectus: ad secundum autem secundum rationes divinas donum sapientiae: sed secundum rationes humanas donum scientiae.

ARTICVLVS III. non

Vtrum sapientia sit speculativa tantum, an etiam practica.

AD TERTIUM sic proceditur. Videtur, quod sapientia non sit practica, sed speculativa tantum. Donum enim sapientiae est excellentius, quam sapientia, secundum quod est intellectualis virtus: sed sapientia, secundum quod est intellectualis virtus, est speculativa tantum: ergo multo magis sapientia, quae est donum, est speculativa, & non practica.

2 Praet. Practicus intellectus est circa operabilia, quae sunt contingētia: sed sapientia est circa divina, quae sunt aeterna, & necessaria: ergo sapientia non potest esse practica.

3 Praet. Gregorius dicit in 6. Moral. quod in contemplatione principium, quod Deus est, quaeritur. In operatione autem sub graui necessitatis fase laboratur: sed ad sapientiam pertinet ditinorum visio, ad quam non pertinet sub aliquo fase laborare, quia, ut dicit Augustinus. Non habet amaritudinem conuersatio eius, nec tedium conuictus illius, ergo sapientia est contemplatiua tantum, non autem practica.

SED CONTRA est, quod dicitur ad Coloss. 4. In sapientia ambulate ad eos, qui foris sunt: hoc autem pertinet ad actionem: ergo sapientia non est solum speculatiua, sed etiam practica.

RESPON. Dicendum, quod sicut Augustinus dicit in 12. de Tri. superior pars rationis, sapientia deputatur inferiori autem, scientia. Superior autem ratio, ut ipse in eodem libro dicit, intendit rationibus supernis, scilicet diuinis, & conspiciendis, & consulendis: conspiciendis quidem, secundum quod diuina in seipsis contemplatur: consulendis autem, secundum quod per diuina iudicat de humanis actibus per diuinas regulas dirigens actus humanos. Sic ergo sapientia, secundum quod est donum, non solum est speculatiua, sed etiam practica.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod quanto aliqua virtus est altior, tanto ad plurima se extendit, ut habetur in lib. de causis. Vnde ex hoc ipso, quod sapientia, quae est donum, est excellentior quam sapientia, quae est virtus intellectualis, utpote magis de prope Deum attingens per quandam spiritus unionem animae ad ipsum, habet quod non solum dirigat in contemplatione, sed etiam in actione.

AD SECUNDUM dicendum, quod diuina in se quidem sunt necessaria, & aeterna: sunt tamen quaedam contingentia, quae humanis actibus subsunt.

AD TERTIUM dicendum, quod prius est considerare aliquid in seipso, quam secundum quod ipsum ad alterum comparatur. Vnde ad sapientiam per prius pertinet contemplatio diuinorum, quae est visio principij, & posterius dirigere actus humanos secundum rationes diuinas. Nec tamen in actibus humanis ex directione sapientiae prouenit amaritudo, aut labor: sed potius amaritudo propter sapientiam uertitur in dulcedinem, & labor in requiem.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum sapientia possit esse sine gratia, & cum peccato mortali.

AD QUARTUM sic proceditur. Videtur quod sapientia possit esse sine gratia, & cum peccato mortali. De his enim, quae cum peccato mortali heri non possunt, praecipue sancti gloriantur, secundum illud 2. ad Corinth. 1. Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae: sed de sapientia sua non debet aliquis gloriari, secundum illud Ierem. 9. Non gloriatur sapiens in sapientia sua: ergo sapientia potest esse sine gratia cum peccato mortali.

2 Praet. Sapientia importat cognitionem diuinorum, ut dictum est: sed aliqui cum peccato mortali possunt habere cognitionem ueritatis diuinae, secundum illud Roman. 1. Veritatem Dei in iniustitia detinet: ergo sapientia potest esse cum peccato mortali.

3 Praet. Augustinus dicit in 15. de Trin. de charitate loquens. Nullum est isto Dei dono excellentius, hoc solum est, quod diuidit inter filios regni aeterni, & filios perditionis aeternae: sed sapientia differt a charitate: ergo non diuidit inter filios regni, & filios perditionis.

Lib. 6. Moral. ca. 23. circa med.

Lib. 12. c. 14. tom. 3.

Lib. 12. c. 7. in li. 6. tom. 3.

Propos. 10. inter opera Arist. habet hic liber.

Art. 1. huius quest.

Lib. 15. c. 18. i prim. to. 3.

Super quaest. quarta...  
In ar. 3. in responsione ad primum, per se, quod practicum, & speculatum unum sunt in uno superioris ordinis: & hinc uide quod bene alibi scriptum.

Super  
speculatiua tantum: ergo multo magis sapientia, quae est donum, est speculatiua, & non practica.